

Cum ergo prelatio Petri super omnes homines mundi^{c)} sit de iure divino, sequitur^{d)}, quod esse subiectum, quod est materia absolutionis, sit etiam de iure divino. Cum ergo papa ius divinum mutare non possit, sequitur quod non posset papa dispensare cum aliquo imperatore aut rege, quin sibi semper esset subiectus.

cap. 186 Papa potest de quocumque peccato mortali omnem principem excommunicare.

Romanus¹⁾ pontifex, qui beato Petro apostolo succedit^{a)}, cui Christus dixerat²⁾: 'Si peccaverit in te' — id est te sciente — 'frater tuus, vade et corripe^{b)} ipsum', de iure divino potest quemcumque imperatorem seu regem aut principem corripere de quocumque peccato mortali notorio. Unde de iuditiis. capitulo *Novit*³⁾ sic dicitur: 'Nullus qui sit sane mentis ignorat, quin ad offitium nostrum spectet de quocumque peccato mortali corripere quemlibet christianum, et, si correctionem contempserit, per censuram ecclesiasticam cohercere', precipue de criminibus ecclesiasticis sicut ibi de periurio. Quodsi papa hanc correctionem omittit, peccat mortaliter, sicut Hely sacerdos peccavit, qui filios suos non corripuit ut debuit, sicut habetur in primo libro Regum capitulo iii.^{c)} ⁴⁾. Et sic papa⁵⁾ deposuit Federicum ultimum, quia^{d)} consenserat in persecutionem cardinalis. Unde^{e)} privavit eum^{f)} regno Sicilie, quod est feudum ecclesie, et privavit similiter eum imperio^{g)} occidentali, quod tenetur ab ecclesia⁵⁾. Potest⁶⁾ enim papa privare vasallum suum feudo propter feloniam; aliter papa esset deterioris conditionis quam alii archiepiscopi et prelati⁶⁾, quos videmus continue privare suos vasallos^{h)} feudis propter delictum. Item si aliquis imperator vel princeps labatur in heresimⁱ⁾, ipso facto est a corpore precisus et per consequens^{k)} non potest esse capud populi christiani. Et isto modo Stephanus⁷⁾ papa privavit Grecos imperio, quia scismatici et heretici facti¹⁾ erant et ecclesiam defendere nolebant, et contulit Karulo magno, Extra. de electione. capitulo^{m)} *Venerabilem*⁸⁾. Et isto modo Adrianus secundus⁹⁾ excommunicavit Lotharium regem, quiaⁿ⁾ tenebat concubinam; qua de causa venit Romam pro sua excusatione; qui comunicans de corpore Christi in excusationem sui peccati illo anno mortuus fuit et omnes barones, qui cum ipso indigne comunicaverant^{o)}. Glosa^{p)}: Utrum papa sit dominus temporalis Ytalie, dicendum est quod sic et ex iure divino et ex Constantini donatione et de iure gentium, quia cum gladio ipsam eripuit de manu Longombardorum duabus vicibus, primo per Pipinum postea per Karulum magnum^{p)}.

c) capud inclinant *add. B*

e) *Vgl. GA cap. 68.*

cap. 186 a) successit *B* b) corrige *B* c) xxxiiii *BW* d) qui *B* e) quia *BW* f) ipsum *W* g) eum imperio similiter *tr. B* h) vasallos suos *tr. W* i) qui *add. BW* k) et per consequens *supplevi ex CM cap. 579* l) *om. B* m) per *add. B* n) qui *B* o) comunicaverunt *B* p) Glosa — magnum *om. W*

¹⁾ Romanus — capitulo iii. (*vor Anm. 4*) *vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 242, 19—32.* ²⁾ Mt. 18, 15. ³⁾ X. 2. 1. 13. ⁴⁾ 1. Rg. 3, 13 f. ⁵⁾ papa — ecclesia *vgl. Petrus de Palude, Tract. 263, 1—6; ferner VI. 2. 14. 2.* ⁶⁾ Potest — prelati *vgl. Petrus de Palude, Tract. 262, 29—37.* ⁷⁾ Stephanus — Venerabilem (*vor Anm. 8*) *vgl. ebd. 266, 5—12.* ⁸⁾ X. 1. 6. 34. ⁹⁾ *Vgl. Bernard Gui, Cat. pont. Rom., cap. CXII (ed. Mai, Spic. Rom. 6, 205).*